



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 4. Totius difficultatis resolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

respicit vñā substantiam tanquam terminum à quo, & aliam tanquam terminum ad quem, & est conuersio substantialis, quia formaliter vt conuersio est terminatur ad substantiam, neque conuersio ex alio capite potest dici substantialis nisi quia ad substantiam terminatur, sicut actio substantialis dicitur, etsi entitatiū sit accidens, ex quo ad substantiam terminatur. Instabis: conuersio vt productio est terminatur ad modum illum accidentalem, & non ad substantiam secundum sententiam traditam: ergo non est simpliciter substantialis. Retorquo argumentum: conuersio etsi sit productio corporis Christi in sententia P. Soar non tantum terminatur ad corpus Christi secundum se, sed ad corpus Christi sub illo modo existenti sub speciebus Eucharisticis: ergo non solum respicit tanquam terminum substantiam corporis Christi sed modum illum accidentalem: ergo terminatur ad accidens: ergo accidentalis dicitur. Resp. conuersionem dici substantialem ex eo quod formaliter vt conuersio est terminatur ad substantiam, etiamsi materialiter vt productio est modum accidentalem respiciat vt terminum.

§. IV.

Totius difficultatis resolutio.

22 **E**x dictis de natura conuersionis, & de illius proprietatibus facile erit definire, quomodo generationi ratio conuersionis contingat, & in quibus generationibus intercedat conuersio. Primum certum est de conceptu generationis conuersionem non esse, quia generatio non dicit corruptionem formæ, neque alicuius entitatis habentis oppositionem cum termino formali, aut totali generationis, neque dicit materiā primā, aut aliquod accidens, quod terminum genitum afficiat præcessisse in aliquo termino, qui ex vi generationis definat esse, quæ essentialiter requiruntur ad rationem conuersionis vt dictum est. Secundum certum est etiam non omnem conuersionem esse generationem, quia etiamsi quidquid est in substantia panis, & modus vnionis inter materiam, & animam humanitatis Christi crearentur, ac proinde totum corpus Christi compositum ex materia, & forma esset creatum, substantia panis conuerteretur in corpus Christi absque vlla generatione adhuc præexistente, quæ respiceret terminos conuersionis, neque aliquid ad illorum constitutionem spectans, & in substantiis creatis certum est posse dari conuersionem sub aliquibus accidentibus communibus etiamsi nulla intercedat ipsorum generatio. Itaque generatio & conuersio mutuo exceduntur, dantur enim generationes, quæ conuersiones non sunt, & conuersiones, quæ non sint generationes, licet aliquando in eadem mutationem consiliat generatio, & conuersionis ratio.

23 In generatione compositorum, quorum formæ materiales sunt regulariter duplex reperitur conuersio, conuertitur enim forma corrupta in formam genitam conuersione formali, quæ propriè est conuersio vt dicebam supra, & conuertitur totum genitum in totum corruptum, quia ex vi totius geniti definit esse totum corruptum, & vtrique eadem est materia communis. Conuersio hæc totius in totum non distinguitur à conuersione vnionis in vnionem, quia non alia ratione totum genitum ponitur in rerum natura, neque destruitur totum corruptum, nisi quatenus destruitur vnio huius, & illius vnio producit. In morte hominis, & generatione cadaveris, etsi vnum totum conuertatur in aliud, non tamen vna forma in aliam conuertitur, quia rationalis anima non definit esse secundum se, etiamsi producat forma cadaveris, & introducatur in materiam, quam ante informabat rationalis animus, ac proinde non potest esse terminus à quo conuersionis, neque in formam cadaveris conuertitur, quia terminus à quo conuersionis, qui in terminum ad quem conuertitur, debet definire esse secundum suam entitatem, & in rerum natura non permanere, anima autem rationalis separata à materia verè existit, & permanet in rerum natura. In hominis generatione duplicem conuersionem reperio totius corrupti in totum genitum videlicet hominem, & conuersionem formalem formæ embryonis, aut aliud quæcumque sit, quæ præcedat rationalem animū, in ipsum rationalem animū. Priorem conuersionem admittit communis sententia: posterior hanc negat Hurt. disp. 1. sect. 4. tum quia anima rationalis non educitur ex potentia materiæ, tum quia non opponitur cum forma precedenti ratione sui, sed ratione vnionis. Neutra ratio me mouet, non prior quia ad

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.

conuersionem non requiritur terminum in quem sit conuersio educi ex illo, sub quo sit conuersio, possunt enim conuerti illa, quæ per se creantur, vt dicebam supra, neque requiritur terminum ad quem produci ex vi conuersionis vt nuper probabam. Posterior ratio non mihi maioris ponderis est, quia vt probaui Contr. 8. Phyl. punct. 3. forma media vnione opponitur cum aliā non solum vt vnità, sed vt educit, & ita anima rationalis vt vnita non solum immediate destruit vnionem formæ embryonis, & consequenter ipsam formam, quæ sine hac vnione non potest conuerti, sed immediate opponitur cum ipsa forma, vt educit, & exigit ne ulterius educatur, quod est exigere suspensionem influxus, quo conseruatur. Ad illud, quod dicit Hurt. formam rationalem non opponi per se ipsam, sed per vnionem. Respondeo animam rationalem per se ipsam esse destructiuam in actu primo formæ embryonis, indigere tamen vnione tanquam causalitate requisita vt in actu secundo illam destruat, seu in actu secundo hic. & nunc exigat illius destructionem, sicut forma educit mediā educatione tanquam causalitate, seu applicatione exigit destructionem formæ oppositæ, quam non exigeret, si non educeretur, nihilominus dicimus per se ipsam immediate opponi cum aliā. Ex his argumentum desumitur ad probandum in generatione hominis, & corruptione embryonis reperiri omnes condiciones requisitas, vt dicatur formam embryonis conuerti in animam rationalem, quia aduenit anima rationalis per impossibilitatem, quam habet cum illa, & vtrique est subiectum commune. Neque obest animam rationalem non produci in generatione hominis, quia necessum non est, ex vi conuersionis produci terminum ad quem conuersionis.

PUNCTVM VI.

De Generatione viuientium.

Theologi omnes cum Doctore Angelico 1. part. quæst. 27. art. 2. viuientium generationem definiunt: *Origo viuientis à viuente à principio coniunctio in similitudinem naturæ*, quæ definitio videtur desumpta ex Aristot. variis in locis, nam 8. ethic. cap. 12. dixit genitum debere esse coniunctum generanti: debere autem esse in similitudinem naturæ docuit idem Philosophus 2. de anima cap. 4. tex. 34. & 7. Meta. cap. 8. tex. 18. & 1. de Gener. animalium cap. 1. Addit Maior in 1. dist. 13. quæst. 1. Generationem hanc debere esse à viuente cognoscente se, vt hac ratione plantæ excludantur à vera generatione, siquidem vna arbor alius arboris filia non dicitur. Consentit P. Vasquez disput. 113. cap. 2. num. 6. Dissentiunt alij plurimi Doctores cum recentiorum magna. Ceterum nomen *filij* tantum tribui viuientibus, quæ ab aliis cognoscitiuis procedunt citra controuersiam est, actuale verò cognitionem ad hanc filiationem in principio, à quo procedit necessariam non esse, frustra quicumque negabit, nullus enim dicit prolem procreatam à femina dormiente in instanti, in quo semen virile recepit, & proprium decidit, & in instanti in quo exercetur actio productiua ipsius prolis rationem filiationis non trahere à tali femina, & hanc propriè matrem non esse. His positis vix aliquid potest circa rem in quæstionem verti, quod ultra nomen procedit. Certum enim est arbores non dici filias, an verò hoc procedat ex eo, quod cognoscitiuæ non sint arbores, quæ aliarum sunt principia, vel ex aliis peculiaribus circumstantiis, quæ reperiuntur in generationibus sensitiuorum, & non in generationibus viuientium, quæ tantum se nutriunt incertum est, non enim potest certò sciri, quā ratione apud maiores nostros inualuit vltus non tribuendi filiationem viuientibus, quæ à purè sensitiuis procedunt. Coniecto ego arboribus, & plantis vulgo filiationem denegatam fuisse, quia regulariter vix speciem aliquam similitudinem sensibus perceptibilem habet planta, seu arbor cum principio, à quo fuit producta, quam non habeat cum aliis plantis, seu arboribus eiusdem speciei, & cum de ratione filij sit similitudo, hinc fit, vt illis, in quibus vulgus vix aliquam similitudinem agnouit, filiationis proprietatem non impertiat. Neque refert minorem habere similitudinem equam cum asino, & nihilominus alij filiam dici, quia hoc peculiare est in vna, vel altera sensitiuorum monstruosa generatione, & pro omnibus idem loquendi modus est institutus.

M m 3